

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

XXXII.

NOTITIA FUNDATIONIS MONASTERII BACKNANG.

Ex Chronico Mss. monasterii Backnang.

Dies iste ab inveterata observantia seu consuetudine festiviori cultu celebratur ob memoriæ victoriosum triumphum ab Hermanno fratreque suo Rudolpho, Ecclesiæ nostræ reparatoribus, hoc die gloriose quondam obtentum. Cum namque anno a nativitate Domini 1116. tempore Paschalis Papæ II. ab *Hermanno Marchione Badensi* divinitus adspirato in villa sua Backenang pia fundatione fundatum esset monasterium Ordinis S. Augustini & in honorem Dei gloriosæque virginis Mariæ, nec non sanctorum Augustini, præcipue autem Pancratii martyris laudem & gloriam perennem dicatum, deinde vero A. 1134. a *filio suo juniore Hermanno*, tam virtutum quam nobili successore Lothario, qui S. Bernardi Abbatis consortio plurimum delectabatur, Romanorum fasces tenente, ampliori dotatione fuisset dotatum, posteaque ab eodem A. 1135. paternæ fundationis atque donationis primariæ traditio, in perpetuam subsistentiam, præsentè Sigefrido Spirensi Episcopo confirmata foret; multis abhinc calamitatibus monasterium ipsum vexatum extitit & à sacrilegis tyrannis nefandis ausibus misere invasum, specialiter autem circa annum Domini 1236. principante *Hermanno* hujus nominis post fundatorem *tertio*, hoc idem monasterium ab irruentibus cru-

delibus devastatum esset & fere totum collapsum atque ablumptum, ita ut factiosi hujusmodi omnis humanitatis seu pietatis expertes severissima immanitate in religionis etiam ipsius patres & Canonicos grassarentur, plurimos eorundem una cum praelato praeposito horribiliter trucidantes. Mortuo autem post haec Hermanno jam dicto A. 1243. dum superstitum pupillorum *Hermanni & Rudolphi* fratrum patrii fines hostilibus invasionibus seu incurfibns impeterentur, nonnullaque oppida & villae intra districtum marchionatus igne & gladiis latrocinando profligarentur depopularenturque, ipsi tandem hodierno die campestri bello viriliter decertantes expugnando hostes devincendo gloriose captivarunt, haud dubium intercessione Ephæbi scilicet invictissimi martyris S. Pancratii militum Rom. sanguine prostati, cujus implorato suffragio proeliantes votum voverunt suo nomine & honore perenni diruptum hoc & desolatum monasterium sese innovando reparaturos. In hujus itaque celebrem memoriam mentibus etiam posteriorum nullatenus evanescentiam, dies iste, nec mirum, solenniori officio agitur pro laude Dei & gratiarum actione, qui praestita sua virtute in manu patronorum praemissorum hostes stravit & jacentis monasterii culmina pro honore S. Pancratii denuo assurgere & erigi fecit.
